

Petrus de Vinea

*Ep. II 37 (Dum, Imperii
pelago nauigando feliciter...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 37 (Dum, Imperii
pelago nauigando feliciter...)*

post settembre 1247

Capuanis, de captione Brecelli et celeri deditione Parmae.

1. Dum, Imperii pelago nauigando feliciter, longeuam Regni nostri fidelitatem aduertimus, dum sedula magnaue uestra et aliorum eiusdem Regni seruitia contemplamur inter quietae pacis nostrae delicias, quas in hereditario Regno nostro in proprio labore quesiuimus, et adhuc in ipsius conseruatione persistimus, debitum uobis quodammodo soluimus, dum felicitatem nostri culminis nuntiamus. 2. Post descriptam uobis denique obsidionem Parmensem per alios nostri culminis apices, debellationem et captionem ipsorum in non modica quantitate, preter alia castra et loca quam plurima permunita, per dilectum filium nostrum Henricum, illustrem regem Sardiniae et Sacri Imperii in Ytalia generalem legatum, et Ezelinum de Romania, dilectum fidelem nostrum, qui predicta prospere in nomine nostro gesserant, debellata uiriliter et cremata, locus Brecelli, qui est in ripa fluminis Padi, unde ad Parmenses eosdem rebelles nostros et per Mutinenses et Ferrarienses armatorum quandoque persepe fere uictualium, salis et aliorum necessariorum munitio ferebatur, uiriliter extitit expugnatus, captis nonnullis Parmensibus prefatis ibidem positis ad tutelam. 3. Quem, uelut dispendiosum hostibus, dum inde non minus, quam ubi nos ipsi persistimus, muniri fossatis et aliis necessariis mandassemus predictis filio nostro et Ezelino ibidem usque ad plenum inauditae munitiois exitum moraturis, cardinalis Octauianus, cui ad Mediolanensium et aliorum rebellium nostrorum auxilium fuerat per Apostolicum dudum de Transalpinis partibus commissa transductio, et eis per A., comitem Sabaudiae, dilectum consanguineum

et fidelem nostrum, in manu forti et mandato nostrae celsitudinis denegata, Mediolanum furtiue quodammodo sub inermi et modica comitiua peruenerat, ad instantiam G. de Monte Longo, legati Apostolici apud Parmam intrusi, eundem de succursu Parmensium per nuntios et litteras sepius requirentis. 4. Mediolanensium, Brixiensium, Mantuanorum, Ferrariensium et aliorum nostrorum rebellium possibili coadunato presidio, uenit, marchione Estensi et Alberico de Romano, proditoribus nostris, ipsum illuc comitantibus, ad Talliatam, locum uidelicet, unde pars predicti fluminis deriuatur. 5. Vnde predictis Parmensibus et legato transitum et succursum impossibilem repromittens, prefatis filio nostro et Ezelino cum electa militia et peditum multitudine oppositis ex aduerso, obsessorum nota concepta uerbotenus, de qua patiebantur necessitate suspensa, cum aliud inde nequiuerit, per impossibiles promissiones elusit. 6. Et sic Parmensibus predictis, per duplicis obsidionis obiectum, omni succursu et munitionis auxilio denegato, salis etiam et uictualium ipsos premente defectu, amodo differre non poterunt, quin uocem deditionis admittant, prout per plures eorum ad cardinalem et Mediolanenses prefatos litteras interceptas accepimus, quibus post desperationem succursus, quod se mandatis nostris exponerent, sub excusationis uelamine describebant. 7. Ex premissis igitur firmam spem fiduciamque concipite ac tenete, quod de Parmensibus predictis infra spatium breuis temporis obtenta indubitata uictoria, quae titulis nostris summam gloriam, oneribus nostris finem et communibus expectationibus aduentum nostrum indubitabiliter pollicetur, mutuis affectibus delectantes

uos in strenuitate uultus nostri continuate fouebimus,
quos nunc sub interpolatione litteris premulcemus.